

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quo tractatur de Ministro Sacramento Pœnitentiæ. Item de Sacramentis
Extrema Unctionis, & Ordinis

Bosco, Jean a

Lovanii, 1672

Concl. V. Non potest inungi infirmus, de quo nequit præsumi, quod
aliquando peccaverit actualiter. Igitur neque puer carens usu rationis,
neque perpetuò amens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73429](#)

88.
Nullum jus
prohibet
post fuscum
primum Ext.
Uit facere
testamen-
tum.

Ex eadem radice prodit; quod aliqui dicant, se cum graviter etiam infirmantur, nolle tamen adhuc Unctionem suscipere, eo quod non possint, ut aiunt, postea condere testamentum, aut quidquam de rebus suis disponere. Ea enim invaluit apud multos opinio, quod illi, qui inuncti sunt, nullam habeant potestatem aliquid circa bona sua disponendi vel ordinandit, quia videlicet viderunt, quod illi qui inunguntur, parum aut nihil amplius sensus aut rationis habeant: quod nimurum tam sero unctionis Sacramentum suscepimus, ut postea nihil cum intellectu aut iudicio facere possint. Et certe hoc experientia discimus. At vero tenendum est, nulla omnino iura prohibere, ne quis post susceptionem Unctionis testamentum faciat, aut quidquam de rebus suis ordinet: sed relinquitur homini tam liberum, Sacramento illo suscepito, quod voluerit de rebus suis facere, quam unquam antea. Nemo igitur per haec inaniter terreatur. Hucusque Hefselius.

Finius verbis Rit. Rom. supra: *Extrema Unctionis Sacramentum à Christo Domino institutum tamquam celestis medicina non anima solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculosè agrotantibus adhucendum est; & eo quidem tempore, si fieri posit, cum illis adhuc integrum mens & ratio vigeat: ut ad uberiorum Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liminunt oleo.* Et infra: *Debet hoc Sacramentum infirmi preberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum immittente videatur, & isti, qui pre senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.* Quoniam sene-
tus ipsa morbus est.

Sed quorum additur illa particula, Cùm ad usum rationis pervenerint? Attendite his, quae dicentur Conclusione sequenti, in ordine

CONCLUSIO V.

Non potest inungi infirmus, de quo nequit præsumi, quod aliquando peccaverit actualiter. Igitur neque puer carens usu rationis, neque perpetuo amens.

89.
Pecatum
est malum
volunta-
tum ex
D. Aug.

Volunta-
tum requi-

Consequens hæc est evidens, quia neque de tali puer, neque de perpetuo amente præsumi potest, quod aliquando peccaverit actualiter, cùm omne peccatum actualē essentialem postuleat usum rationis. Usque adeo enim peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Aug. audistis lib. de vera Relig. cap. 14. Et voluntarium quomodo esse poterit sine usu rationis? Est

quippe voluntarium; quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva.

Igitur de secunda parte Conclusionis non est dubitandum, supposita veritate primæ partis, qua restat probanda, & non modicam patitur contradictionem. Interim quia videtur esse Scoti, ideo eam elegimus. Subscribo verba Scoti:

Quod additur, Peccantibus; patet; quia nullus Scottus est capax istius Sacramenti digne, nisi sit in gratia: istud enim Sacramentum, non est remedium (per se & primarium) acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Baptismus & Penitentia. Et ex hoc excludantur non uentes ratione, ut parvuli, & qui non habent materiam penitentie, saltem qui non habent penitentiam de venialibus, ut perfectè innocentes. Quia etiam non uentes ratione non possunt esse penitentes, excludantur farosi & amentes, & hoc nisi per voluntatem præcedentem expressam presumantur illud velle.

Ergo secundum Doctorem Subt. nullus est capax hujus Sacramenti, nisi qui potest esse penitentes; nemo autem potest propriè esse penitentes; nisi qui aliquando peccavit actualiter: ergo &c.

Atque hanc sententiam docet Hiquæus in suo Comment. ad illum locum Scotti n. 14. & seq. Nagn. & Sylvius hic q. 32. a. 4. Sancius in Select. Disp. 27. n. 18. Aversa hic Sect. 8. & quidam Alii. Eamque probabiliorē existimat Valquez in 3. part. to. 2. disp. 119. c. 8. n. 74. dum probabiliorē existimat opinionem, quæ docet, B. Virginem non recepisse hoc Sacramentum; et, inquit, quod neque forma hujus Sacramenti vere super B. Virginem posset proferri, neque effectus primarius, ad quem hoc Sacramentum institutum fuit, & formâ ipsâ verborum significatur, in B. Virginem convenire posset.

Nam hoc Sacramentum, non solum contra peccata, sed etiam contra reliquias peccatorum primariè institutum est. Sunt autem reliquia peccatorum non pravi aliqui habitus, aut qualitates in homine existentes; sed fastidium, quod ex memoria peccatorum in ipsa aegritudine, & fine vita generari solet; sicut etiam ex ipso morbo. Hoc igitur Sacramentum confert auxilium gratiæ, ut corroboret infirmitatem nostram ex peccatis præteritis contractam, & ita ad eundem effectum inungimur, ut ita tentationibus dæmonis, quæ ex memoria illa peccatorum graviorē esse solent, vehementius resistamus.

Quocirca ipsâ formâ verborum, non solum remissio culparum venialium, sed etiam reliquiarum peccatorum aliorum ad effectum, quem diximus, denotatur: & ita licet nobis constaret, aliquem nullam culpam veniale habere, sine mendacio aut falsitate hoc Sacramentum sub prædicta forma conferte possemus. Quare cùm B. Virgo nullum peccatum commiserit,

ut usum has-
tionis.

90.
Nullus est
capax hujus
Sacramenti;
nisi qui po-
test esse peni-
tentes.

Hiquæus,
Nagnus,
Sylvius,
Sancius,
Aversa,
Valquez.

91.
Quidam tib.
liquia peccato-
rum.

Aug. 14.

nescio quo pacto hoc Sacramentum ei verè conferri potuerit, aut contra venialia, quæ haberet, aut contra reliquias aliorum, quæ antea habuisset. Hactenus Vasquez.

92.
Probatur 1.
pars Concil.

Ex quo patet, præcipuum fundamentum Conclusionis nostra, esse veritatem formæ, in qua fit mentio peccatorum: ergo sicut non potest quispian absolví sacramentaliter, nisi aliquando peccaverit actualiter; quia in forma Absolutionis fit mentio peccatorum, saltem implicita, quæ proinde foret falsa respectu ejus, qui numquam peccasset actualiter.

Dico; *Saltene implicita*; propter formam Venetam & Ambrosianam, in quibus per ly Aëreas potestes, intelligi debet totum, quod in forma Latinorum importatur per illa verba: *Indulgeat tibi Deus &c.* nam debent aliquo modo æquivalere; adèoque intelligi debent tentationes dæmonis, non simpliciter, sed quatenus sunt reliquæ peccatorum, immo & ipsa peccata. Nec ergo illæ formæ verificantur, nisi in subjecto, quod aliquando actualiter peccavit.

93.
Parvulus &
perpetuò
amenibus
non potest
conferri
hoc Sacra-
mentum.
Vasquez.

Quocirca (inquit Vasquez suprà) parvulus & amentibus à nativitate, juxta omnium Theologorum sententiam, hoc Sacramentum conferri nequit. Atque, ut ego existimo, non ea de causa; quia ad hoc Sacramentum requiratur proprius confessus; siquidem hujusmodi homines verum recipiunt Sacramentum Baptismi, Confirmationis & effectum ipsum, sicut etiam Eucharistia; sed quia in his esse non possunt peccata venialia, aut reliquæ aliorum peccatorum, contra quas hoc Sacramento corroborari possint & debeant. Cùm igitur B. Virgo, quod spectat ad peccata & reliquias peccatorum, fuerit innocens, veluti infans unius diei; conficitur planè, hujus Sacramenti capacem non fuisse, ac proinde neque illam ullo modo inungi decuisse. Hæc ille.

94.
Opposita
sententia
non est im-
probabilis,
pro qua ci-
tatur D. Bo-
nav. Sua-
rius, Villa-
lobos &
Alii apud
Dianam.

Referuntur
verba Divi
Bonavent.

Nihilominus contraria sententia etiam est probabilis, pro qua citatur D. Bonav. 4. dist. 23. p. 2. a. 1. q. 3. eamque amplectitur Suarius hic disp. 42. sect. 2. n. 8. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 10. distic. 4. n. 7. & Alii, quos citat & sequitur Dia. 3. p. tract. 4. resol. 18.1.

Sed quantum ad Doctorem Seraphicum, perprætare citatur, meo iudicio; atque imprimis illa dist. 23. non habet duas partes, sed tantum duos articulos. Deinde art. 2. q. 2. in qua disputatur de illis, quibus debet hoc Sacramentum ministrari, sic scribit S. Bonaventura:

Dicendum; quid hoc Sacramentum est principali-
ter ad venialia delenda, secundum quod possunt con-
venienter recipere effectum: & per hoc est in alle-
viationem animæ aggravate à corpore, corruptio-
nem habente: & ideo istud Sacramentum debet dari

solis infirmis, qui peccare posuerunt venialiter, & bis prout sunt in articulo mortis: sic enim possunt à culpa veniam liberari convenienter, & sufficienter. Et hoc invenitur in ipso Textu, statu, inquam, iustitiae. Et hoc est, quod dicitur: Infirmatur. Per-
culum in hoc quod dicitur: Quis, quasi discretri, & notabiliter & graviter: ita quod deficit virtus naturæ & auxilium medicina. Discretio vero rationis in hoc, quod dicitur: Inducat Presbyteros. Et iterum in hoc, quod subinfert: Si in peccatis fuerit, remittuntur ei.

Et infra: Ad illud, quod obcurat; quid aliud
diligent alleviatione, dicendum, quod ad hoc principi-
ler Sacramentum istud non ordinatur, sicut pars in
ipsa forma, sed ad peccatorum tensionem, quæ per
sensus exteriores perpetrata sunt: & ideo non datur
infantibus nec naturaliter futilis.

Ergo secundum Doctorem Seraphicum, idem non datur infantibus & naturaliter futilis. Ex trema Unctio, quia non habent peccata, quiem per sensus exteriores perpetrata sunt: ergo non potest inungi infirmus, de quo nequit pre-
sumi, quid aliquando peccaverit actualiter: ergo potius ex illo loco pro nostra sententia, quam opposita allegandus; cùm nihil aliud ad hoc propositum habeat in tota illa distinctione.

Sed nunc examinemus fundatum Summa & Aliorum, qui nimis clare docent hanc fe-
tentiam. Neque (inquit Suarez suprà) ex verbis Iacobi, neque ex aliquo Concilio, nec ex forma vel materia hujus Sacramenti, neque ex fine ejus colligi potest necessitas hujus conditionis; & alioqui effectus primarius hujus Sacramenti optimè locum habet in eo, qui numquam actualiter peccavit: ergo & ipsum Sacra-
mentum.

Major probatur quoad singulas partes; nam Iacobus solùm dixit: Si in peccatis est, dimittetur ei, quæ verba non opponunt necessario pe-
catum, quia conditionalis nihil ponit in eis fed ad summum supponunt possibiliterem pe-
candi. Concil. item Florent. & Trident. in hoc nihil addunt his, quæ Iac. explicavit.

Forma item juxta verba Iac. intelligenda est, scilicet conditionaliter seu potentialiter: Ignorat tibi Deus quidquid peccasti, id est, Si quid pe-
ccasti, vel, quidquid solet per visum peccari &c. fecit suprà dicebamus de illo, qui semper caruit aliquo sensu, per quem peccare non potuit.

Ex materia vero clarum est, nihil possit colligi: quia licet Unctio significat cutanæm spirituali-
tatem, & hæc videatur animæ agititudinem supponere, non tamen aliam necessarij, praeter eam, quam homo lapsus ex se habet ad refusandum temptationibus dæmonum, præcipue in mortis articulo, & adjunctâ debilitate corporis, ex morbo proveniente.

Unde neque ex fine aliquid colligitur: quia unus ex principalibus finibus hujus Sacramenti est robore infirmum in eo articulo contra de-
monis infidias, & ungere athletam ad pugnam, hoc autem subsidio indiget, etiam ille homo, quæ

qui numquam peccavit. Atque hâc ratione locum habet in hujusmodi homine auxilium hujus Sacramenti contra reliquias peccati: nam satis ad hoc sunt reliquiae peccati originalis, quales sunt ipsa etiam corporis ægritudo, vel debilitas, vel etiam quilibet dolor aut tristitia, quæ possit hominem retardare à fervore devotionis & hilaritate mentis, in eo articulo maxime necessariis.

Minor autem principalis argumenti ex diuis probata relinquitur: quia ille etiam, qui numquam peccavit actualiter, de se est debilis & infirmus ratione originalis peccati, reliquiarum ejus, & ægritudinis aduperandas dæmonis infidias: ergo non solum est capax proprii auxilii hujus Sacramenti, sed etiam illo maxime indiget; præterquam, quod gratia sanctificantis augmentum recipiet, & ad ingressum glorie perfectius preparabitur. Hucusque Sua-

rez.

Respondeo; sensus horum verborum: Si in peccatis est, dimittentur ei, hic est; Si adhuc sit in peccatis, quæ actualiter commisit, remittentur ei ipsam peccata, & non solum abtergent reliquiae peccatorum. Ita intelligit ea verba Conc. Trident. sess. 14. de hoc Sacram. c. 2. ibi: Res etenim hac, gratia est Spiritus sancti, cuius Uincio delicta, si qua sint adhuc expienda, ac peccati reliquias abtergit. Ergo supponit peccata esse vel fuisse, id est, peccata adhuc expienda esse, aut certè jam expiata fuisse per penitentiam præcedentem, cuius Extrema Uincio est consummatio, quatenus abtergit reliquias eorum.

Ac proinde forma non est intelligenda conditionaliter seu potentialiter, sed absolute, scilicet verba ex se sonant; non enim dicitur: Indulgeat tibi Deus, si quid deliquisti; sed: Quidquid delinquisti; Nulla autem est ratio intelligendi verba conditionate; quippe de omni adulto ratione utente, cui soli Ecclesia administrat hoc Sacramentum, merito præsumi potest aliquando peccasse actualiter, iuxta illud Iohannis Epist. 1. c. 1. v. 8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Ergo absolute dici potest: Indulgeat tibi Deus quidquid delinquisti, id est, omnia peccata tua sive ante remissa sive non. Nam satis remitti possunt eadem peccata, ut diffisiū explicavimus disp. 7. sect. 3. conclus. 4. ubi de sensu forme Sacramenti Pœnitentia: Ego te absolvō &c. quāvis enim Aliqui sic explicit illa verba: Ego consero tibi gratiam remissiām peccatorum, Alii tamen sic intelligunt: Ego remitto tibi peccata, estō anteā fuerint etiam satis remissa. Ergo nihil cogit illa verba: Indulgeat tibi Deus &c. impropriè sive conditionate intelligere, & non magis propriè seu absolute, sicut ex se sonant.

Dices; illud cogit, quod possit administrari

hoc Sacramentum ei, qui numquam peccavit. objectio: Respondeo: est petitio principii; hoc enim est solvitur, quod queritur, & alius probari debet, saltem ex præcepto Ecclesiæ, ut propterea debeamus verba formæ intelligere in sensu minus obvio.

Atqui non probatur: ergo &c.

Immō, inquis, probatur vel maximē; nam si quis in gravi morbo, & sine vita constitutus, baptizetur & Viaticum suscipiat, potest & debet hoc Sacramentum illi ministrari, etiam si nullus peccati conscientiam post suscepitum Baptismum habeat. Ita Surius suprà n. 9. Et Sancius in Select. suprà n. 18. testatur ministratum fuisse Cœchumeno Conventus Regalis Incarnationis Matritensis, mancipio Mähmetano, periculo morbo decumbenti, Sacramentum Baptismi, Eucharistia & Extrema Unctionis successivæ, & immediatè unum post aliud Anno 1620.

Planè testatur; sed audi, quid respondeat: ^{101.} Recens baptizato ministrari forsitan poterit, tum, quia exigua morba intercedente inter Baptismum & Unctionem, aliquæ forde veniali potuit inquinari. Et forte recepit Baptismum, ablique dispositione ad fructum requirita. Attritione vero existente, per Unctionis Sacramentum justificabitur; vel saltem esse ministrandum sub conditione docet Nuño ro. de Penit. in addit. ad 3. p. q. 32. art. 4. fol. 117.

Hæc probabiliter à Doctoribus dicuntur. At ego recens baptizato Unctionem ministrandum non consulerem, nisi novum post Baptismum peccatum admisisse constaret. Qui enim fieri potest, quid quis capax nequivam sit Pœnitentia, & tamen sit Unctionis? Cum utrumque circa peccata veretur, ut docet Nuño ubi suprà conclus. 2. Ita Sancius.

Sed facile reponetur Surius; alio modo versari Pœnitentiam circa peccata, alio modo Extremam Unctionem. In Sacramento enim Pœnitentia debet peccatum per Confessionem subdi Clavibus, & ita sit quodammodo præsens; quod non habet locum in hoc Sacramento. Deinde, peccatum actuale non est materia proxima vel remota hujus Sacramenti, sicuti Pœnitentia: ergo quāvis non præcesserit, possunt applicari omnia essentialia ad hoc Sacramentum conficiendum.

Nec satisfacit dicendo: licet peccatum actuale non sit materia necessaria ratione sui, tamen est ratione reliquiarum. Respondeatur enim à Surius suprà n. 10. Primo, sufficere reliquias originalis peccati. Secundo, impropiam esse locutionem illam; non enim minus ordinatur Baptismus contra ipsam originale peccatum, quam Extrema Uincio contra reliquias ejus, immo illud certius est, & tamen nemo dicit originale peccatum esse materiam Baptismi; sed esse terminum à quo effectus Baptismi, vel esse malum, contra quod institutus est Baptismus; idem ergo erit in praesenti.

M m m Unde,

^{102.}
Alio modo
veretur
penit. circa
peccata. alio
modo Ext.
Unctio.

^{103.}
Occurrunt
objectioni
à Surius.

Unde, sicut est capax Baptismi, qui non habet originales peccatum, ut patet maximè in his, qui sine voto illius iustificati fuerunt ante illius institutionem; immo etiam est capax illius, qui numquam illud in re habuit, de se tamen & ex vi sua originis erat illi obnoxius, ut B. Virgo; quia hoc fatus est, ut sit capax gratiae, expulsive peccati originalis: ita est capax hujus Sacramenti, etiam si quis non haberet illas reliquias originalis peccati, nec habuisset unquam ex privilegio: quia nihilominus est capax gratiae & auxiliis confortantis contra illas reliquias, & ex vi sua originis indigeret illa gratia, quod fatus est. Et ita etiam applicari potest efficaciter forma: *Indulgeat tibi Deus &c.* id est, conferat tibi gratiam, ex se remittentem omnem culpam si adsit, & confortantem contra reliquias ejus, si necesse sit. Hec ille.

104.
Contar
quem ar-
guire
primæ.

Secundò,

105.
Probabilis
videtur,
B. Virg. non
recepisse
Est. Una.
Vespa.

106.
An Ext.

Sed contra Primum; etiam parvuli & perpe-
tua amentes sunt capaces gratiae ex se remitten-
tis omnem culpam, si adsit, & confortantem
contra reliquias ejus, si necesse sit; immo de
facto reliquias habent peccati originalis, scilicet
infirmitatem corporalem, & per consequens
capaces etiam sunt sanitatis corporalis, quæ ali-
quando per hoc Sacramentum confortur; cur
ergo & ipsis non posset applicari efficaciter illa
forma: *Indulgeat tibi Deus &c.*?

Secundò; disparitas est inter formam Bapti-
smi & Extremæ Unctionis; quod in una, scilicet
forma Baptismi, non fiat mentio peccatorum,
sed tantum externæ ablutionis, quæ omni-
no verificari potest in eo, qui nullum om-
nino habet aut habuit peccatum; in alia au-
tem, scilicet forma Extremæ Unctionis, fiat
mentio peccatorum, non tantum possibilium,
sed actualium; cum nullus petat sibi vel aliis
ignosci peccata tantum possibilia, sed actualia.
Licet ergo peccata actualia non sint materia hu-
jus Sacramenti eo modo, quo sunt materia peni-
tentie; equidem ut vera sit forma, essentia-
liter requiruntur in subiecto hujus Sacra-
menti.

Et ideo putamus probabilius cum Vasq. su-
pra, B. Virginem, eti fuit baptizata, ut im-
pressum reciperet characterem Christianitatis,
& redderetur capax aliorum Sacramentorum,
ficeretur membrum visibile Ecclesie; equi-
dem non receperit Extremam Unctionem, quæ
non datur nisi in remissionem peccatorum, qui-
bus ipsa caruit, & alleviationem per auxilia
actualia, quæ Virgini non erat necessaria, cum
non esset subdita tentationibus diaboli, neque
molestis morbi; ut proinde non fuerit necessa-
ria ei Extrema Unctio ad alleviandam corpo-
ris ægritudinem, quæ, si aliqua fuit, quando
mortua est, ardentissimi amoris erga Deum
effectus erat, ut mortua dici possit potius amo-
re, quam morbo.

Cæterum, licet alii homines, qui numquam
actualiter peccassent, sive ante, sive post Ba-

ptismum, nihilominus, proper peccatum ori-
ginale, subiecti forent tentationibus demoni,
& molestis morborum; non ideo tamen cap-
aces hujus Sacramenti, quod sicut institutum est in
ad remittenda sola peccata actualia (nam pro
remissione peccati originalis inflatus est Ba-
ptismus) ita etiam videtur solidum institutum ad
abstergendas reliquias peccatorum actualium;
minime autem peccati originalis. Probandum
itaque manet Suario, sufficere reliquias peccati
originalis; quod facilius, aut saltem æqueli-
cile, negatur, atque asseritur.

Et negatio videtur esse Doct. Angel. 4. diff. vare
23. q. 2. a. 2. q. 4. ibi: Ad primum ergo dicendum, quod
quod non datur contra reliquias originalis peccati, nō
secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo
confortata: unde principaliter contra actualia peccata
datur, ut ex ipso forma patet, quæ non sunt in peccato.

Ad secundum dicendum: quod infirmatus in pa-
ris non sunt ex peccato actuali causati, sicut in ab-
ultis: & contra illas præcipue infirmitates hoc sa-
cramentum datur, quæ sunt ex peccato causatae quod
peccati reliquia.

Sed numquid sufficiunt peccata actualia
commissa ante Baptismum? Affirmat Aver-
hic lect. 8. §. secunda quoque Conclusionis par-
cum Aliis quoq; citat; videturque, inquit, quod
conformatim præxi, quāvis raro occurrat.

Quod raro occurrat, veritatem est, &
quando occurrit, tunc adhuc dubium est, ut
post Baptismum non fuerit commissum aliquod
peccatum veniale, ut sibi dicatur Sanctus in
Select. Et forcè qui sic practicant, sunt in fa-
tentia Suarii, qui nullum peccatum requiri-
t. Igitur ex illa præxi nihil efficaciter probatur.

Ratione ergo suaderet suam sententiam Aver-
fa: quia in eo, qui peccavit ante Baptismum, an
fatis verificantur verba formæ, & concordan-
ta, quæ sunt de ratione hujus Sacramenti. Ac
præsertim in eo considerari adhuc possunt re-
liquæ illorum peccatorum: per Baptismum
enim tollitur quidem totus reatus peccati, que
luenda eset in alia vita, sed adhuc in bapti-
tis remanent penitentiales hujus vite, & alia
reliquæ, quæ antea dicta sunt; & ita in illis
optimè potest habere locum primarius effectus
hujus Sacramenti. Et quando de facto ii, qui
suscepérunt in adulta ætate Baptismum, post al-
iquid tempus deveniunt in mortis articulum,
hoc Sacramentum illis prodest, non solum
contra reliquias peccatorum, denuo commis-
orum post Baptismum, sed simul etiam ante
commisorum: quia ex omnibus potest ori-
molestia & perturbatio in illo articulo, & po-
test adhuc extare debilitas, ex illis contactâ.

Huc usque Averfa.
Sed pari ratione, dicet aliquis, facile po-
tuisset suadere, sufficere etiam solum peccatum
originali, & reliquias ipsius, quæ permanent,
eo remisso per Baptismum quodammodo culpam &
peccatum; nam etiam ex illo peccato potest ori-
mole-

Sect. 3. De ejus Ministro & Subjecto. Concl. 5. 459

molestia & perturbatio in illo articulo, & potest adhuc exare debilitas, ex illo contracta. Et aliunde Extrema Unctio non est instituta magis ad delenda peccata actualia ante Baptismum commissa, quam ad delendum peccatum originale. Cur ergo in eo, qui solum peccavit originaliter, minus poterint verificari verba formae, & alia concutere, quæ sunt de ratione hujus Sacramenti; quam in eo, qui solum peccavit actualiter ante Baptismum?

Respondeatur; qui verba formæ significant peccatum actualæ: Quidquid deliquisti per visum, auditum &c. Quis autem dubitet, ad delictum per visum, auditum &c. debeat intelligi actualē? Si quidem originale propagatione transsum omoibus, inest uticue proprium.

Prorsus, inquit, intelligitur peccatum actualæ, sed commissum post Baptismum; de hoc enim solo possunt fideles sacramentaliter confiteri & absolviri; jam autem Extrema Unctio est consummativa Sacramenti Pœnitentiae: ergo solum remittit peccata & abstergit reliquias peccatorum, quæ sunt materia Sacramenti Pœnitentiae.

Respondeat Averla supra §. Nec obstat. Debet quidem (Extrema Unctio) ut sortiatur effectum, consequi post Pœnitentiam, quia non prodest nisi peccata sint per veram Pœnitentiam retractata: sed Pœnitentia non exercetur solum in proprio Confessionis Sacramento, verum aliis etiam actibus, ut notum est. Immo in ipsomet Baptismo adulorum, qui actualiter peccaverunt, debet intervenire Pœnitentia, ut suo loco dicitur est. Quare optimè Conc. Trident. non dixit, hoc Sacramentum Unctionis esse Consummativum Sacramenti Pœnitentiae, sed simpliciter, Pœnitentia. Et adjectit: Totius Christianæ vita, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimat est à Patribus.

Verè tamen hac sacra Unctio non valet remittere quoad culpam peccata commissa ante Baptismum, sicut interdum remittit commissa post Baptismum. Quia nimurum nullum aliud Sacramentum valet sine Baptismo: & non solum caret effectu, sed est prorsus invalidum. Quare qui non est baptizatus, nullatenus potest hoc Sacramento juvari; qui autem baptizatus est, jam per ipsum Baptismum justificatus est à peccatis, vel in eodem actu, si erat dispositus, vel saltem postea per Contritionem aut Attritionem removens obiecta. At benepotens hæc sacra Unctio delere reliquias eorumdem peccatorum, quæ jam in se per ipsum Baptismum erant deleta. Hactenus Averla.

Sed videtur petere principium; nam queritur, quare potius possit abstergere reliquias eorumdem peccatorum, quam ipsa peccata delere, cùm Conc. Trident. nullam faciat distinctionem, sed simpliciter dicat: Nullio delicta, si que sint alibus expianda, ac peccati reliquias absterget. Ergo illa delicta seu peccata remittit,

quorum abstergit reliquias; si remissa sint, & illorum tantum peccatorum abstergit reliquias, quæ remittit, si remissa non sint.

Atque hæc videtur probabilior sententia; & non est ministrandum Sacramentum ei, qui post Baptismum certò certius non commisit ullum peccatum, vel saltem veniale; ne aliquin forma sit falsa; quæ, sicut dixi, absoluta est, & non conditionata; estò aliquin, de aliquo ex quinque sensibus posset subintelligi conditio: si deliquisti; ut sensus sit: Si per visum deliquisti, id quod deliquisti. Interim inter sensus indefinitè debet absolutè verificari: ita ut conditio ad summum cadat super hunc vel illum sensum distinctionem; non autem simpliciter super peccata: nempe quasi dicatur, si per visum deliquisti, id quod deliquisti, & sic de singulis. Deinde supponi meritò potest, moraliter loquendo, hominem habentem sensum, per eum delinquisse; & ideo absolute potest proferri forma, estò fieri possit, quod sit falsa; & per consequens Sacramentum ex illa parte invalidum.

Sed quid si non habeat visum v. g. vel auditum? Respondent aliqui, omittendam esse utitionem & formam correspondentem. Sed contraria præscribitur in Rit. Rom. ut supra vidimus. Et ideo cum Doctore Seraphico supra q. 3. dici posset: Cælibenter vellent videre, & sordi auditum desiderant, quamvis non audiant, & ideo rectè debent in talibus membris (aut partibus locis illis proximis) inungiri; quia per talia membra aut peccaverunt; aut peccare voluerunt; saltem veniali appetitu.

Quæ cùm ita sint, perfiso in Conclusiones; & dico rursum, neminem esse inungendum, de quo præsumi non potest, quod aliquando actualiter peccaverit, saltem ante Baptismum; quod tamen de omni præsumi potest, qui aliquando usus fuit ratione.

Rectè ad propositum nostrum Catechismi. Rom. p. 2. c. 6. q. 9. Omnes qui tationis auctoritate, ad hoc Sacramentum suscipiendam apti non sunt; & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius Sacramenti remedio opus sint; amentes item & furiosi, nisi interdum ratione usum haberent, & eo potissimum tempore pī. animi significationem darent, pterentq; ut sacro oleo ungerentur; nam qui ab ipso orti numquam mentis & rationis compos fuit, ungendum non est: secūs vero si egrotuer, cum mente adhuc integræ huius Sacramenti participes fieri volueret, postea in infaniam & furorem incidit.

Similiter loquitur Rit. Rom. Tit. de Sacram. Extreme Unctionis ibi: Infirmis qui dum sanâ mente & integris sensibus essent, illud petirent, seu verisimiliter petissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amenites effecti sint, vel delicient aut non sentiant, mibiliter præbeatur.

M m m 2

Sed



Sed si infirmus, dum pueris aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino. Impenitentibus vero & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis & nendum baptizatis penitus denegetur. Non ministretur etiam pueris rationis usum non habentibus, ut supra Catechismus qui nulla peccata admittunt.

114
Explicantur aliqua vet-
ba Scotti.

Ex quisque festinè cognoscet, quomodo intelligendus sit Scotus, circa principium Conclusionis allegatus, quando dicit: *Quia etiam non uientes ratione non possunt esse paucientes, excluduntur furiosi & amentes, & hoc nisi per voluntatem precedentem expressam presumantur illud velle.*

Ubi per, *Expressam voluntatem*, non intelligit explicitam petitionem; sic enim non solum praesumerentur illud velle, sed potius scientur illud velle. Quid ergo intelligit? Voluntatem expressam Christiane vivendi, & per consequens moriendi, in qua voluntate implicitè continetur voluntas suscipiendo hoc Sacramentum in articulo mortis.

Enimvero cum ex hoc Sacramento nullum redundet onus in suscipientem, nec mutetur per hoc ejus status, veluti per Matrimonium & Ordinem; sed maximum commodum, absque ullo incommodo, inde infirmo proveniat; ut paret ex ejus effectibus, supra explicatis: unusquisque qui Christianè vixit, maximè per susceptionem aliorum Sacramentorum, praesumetur in extremis velle illud Sacramentum, si forte, morbo præoccupatus, non possit explcitè id petere.

Si quis autem, immediate ante amissum usum rationis, dixisset; se nolle ullo modo hoc Sacramentum suscipere, sive in hac voluntate peccaverit mortaliter, sive non, de quo infra disputabimus, certum est, quod tunc invalidè illud conferetur; adedque nec possit, multò minus deberet dari. Patet ex dictis disp. I. sect. 8. conclus. i. ad quam remitto Lectorem.

115.
An require-
tur in susci-
piente hoc
Sacra-
mentum
actualis de-
voio ex
D. Tho.

Solum hic nota, quod videatur Doctor An-
gel. 4. dist. 23. q. 2. a. 2. q. 3. & 4. require-
re actualent devotionem in suscipiente hoc Sa-
cramentum. Ad tertiam, inquit, questionem di-
cidendum; quod ad effectum huius Sacramenti perci-
piendum, plurimum vales devoto suscipiens &c. Et
ideo illis, qui non possunt recognoscere & cum devo-
tione suscipere hoc Sacramentum, dari non debet; &
principiù furiosis & amentibus, qui possunt irreveren-
tiam Sacramento per aliquam immundiciam facere,
nisi haberent lucida intervalla, in quibus Sacra-
menta recognoscerent, & sic eis conferriri in statu illo possent.

Et infra: *Ad quartam questionem dicendum;*
quod hoc Sacramentum exigit actualent devotionem in
suscipiente, sicut & Eucharistia: unde sicut Eu-
charistia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacra-
mentum.

Ut ut sit de mente D. Tho. quam hic non
examina, sed suis Sectatoribus examinandam

relinquo; sufficit nobis communis praxis, con-
formis Rit. Rom. ut absque ullo scrupulo Sa-
cramentum hoc administremus etiam illis, qui
amentes effecti sunt, vel delirant, aut non le-
runt, dummodo ab sit periculum irreverentia
& ad sit status gratia.

Cum enim Extrema Uincio sit Sacra-
mentum vivorum, si infirmus habeat mortali per-
cati conscientiam, præmittat Confessionem;
licet quippe omnia Sacraenta, excepta En-
charistia, ut suo loco diximus, suscipi possit
cum sola contritione charitate perfecta; equi-
dem quia in periculo mortis obligat præcep-
tum Confessionis, ex quo est, ut præmit-
tur ante hoc Sacramentum; quævis alioquin
non sit omnino necessarium, dummodo possit
velit & possit confiteri. Interim communie-
sacramentum, maximè cum soleat prius mi-
nistrari infirmo Eucharistia, ad quam pre-
quiritur Confessio. De quo ordine ministriat
hac Sacramenta, statim latius discepto.

Præmitto hoc Corollarium: Si quis in mo-
tali actuali existens incidat in amentiam, &
senus ita amittat, ut non possit præsumi li-
buisse saltem Attritionem, non debet ei con-
ferti hoc Sacramentum; quia est planè eo inca-
gnus, & sine illa utilitate ei conferetur.

Sed numquid suffici, quod præsumatur
tritus? Etenim si quis sciat se tantum esse attri-
tum, non potest licet suscipere hoc Sacra-
mentum: ergo neque Sacerdos, sciens alterum non
esse nisi attritum, poterit ei illud conferre.

Respondet Arriaga disp. 53. n. 45. arg. 2.
Conseq. quia ipse suscipiens tenet etiam
Contritionem; at Sacerdos conferens Sacra-
mentum, si jam non possit melius disponere
infirmitum, cum eo ipso cesse in infimo ob-
ligatio majoris dispositionis, poterit tunc illud
ei conferre, quando videt, aut probabiliter
suscipitur, infirmum habere illam disposi-
tionem, quæ est sufficiens ad hoc, ut illud Sacra-
mentum gratiam caufet, & eum bovinum li-
beret ab æterna damnatione. Hec ille.

Ego autem dico; Sacerdotem tali causa pro-
babiliter posse prius infirmum absolvere & pos-
catis, & consequenter debere ipsum absolvere
per quam Absolutionem ex attrito, ut commu-
niter loquuntur Theologi, fiet contritus pro-
prie, secundum nostram intentionem, multo mihi
debet hoc Sacramentum administrari infirmo
solum attrito.

Sed numquid aliquando poterit administrer-
ri solum contrito, sine prævia Confessione, ad
acceptio Viatici? Responsio erit.

CON-